EXERCITATIO AC

DE

FLACIAN

Quam

in Jubilæi Acaden

d. 2. Februarii & seqq. celeb

PRÆSIDE

VIRO

Plurimùm Reveren

Excellentissimo

DN. JOHANNE

GERHARDO, SS. T.

Patrono ac Fautore suo filiali

nùm proseqvend

Publicè ventilandam e

M. CHRISTOPHORU

Löber / Vinariensis, Facult. Phil

A. d. XII. Febr

Anni

QVo DoMIno grates

CanIt.

TYPIS FRETSCHM

ACADEMICA I.
E
NISMO,

am,
ademici Salani,
, *celebrati*, *memoriam*,
SIDE
IRO
verendo, *atque*
entissimo,
NE ERNESTO
SS. Theol. D. & P.P.
o filiali observantiâ æter-
seqvendo
landam exhibet
ORUS HEINRICUS
lt. Philosoph. Adjunctus,
II. Febr.
Anni
grates rItè SaLana
anIt.

SCHMIDIANIS.

J. N. D.

DISPUTATIO THEOLOGICA DE FLACIANISMO.

§. 1.

DErantiquus & perpetuus antiqui istius serpentis mos est, ut quæ DEO placent, destruere, puramque divini verbi segetem Zizaniis conspurcare laboret, *Matth. XIII.* Id ipsum & nostra Salana in venerandâ suâ canitie per DEI gratiam nunc florentissima, non sine piorum consternatione olim experta est. Cùm enim Saxo magnanimus de eâ fundandâ iniret consilium, trux ille hostis de eâdem in incunabulis statim suffocandâ & delendâ fuit meditatus, nec successu prorsus irrito. Multos siquidem Viros doctissimos, Academiæ in Ecclesiæ salutem nascentis fulcra, detestandis suis heresibus defœdavit, ut illorum operâ Ecclesiæ unitas gravissimè violata, & Academia adhuc recens labefactata fuerit. *Proœmium*

§. 2. Ista inter dogmata locum sibi vendicat non postremum, abominandum istud, & à Manichæismo non planè alienum; domesticum illud malum, quod tanquam serpentem ad vitæ finem usque in sinu ac carne nostrâ fovemus, peccatum scilicet originale, substantiam esse, adserens. Hoc ut in apricum producam, ejusque fœditatem delineem, & operæ pretium, & tempori huic conveniens est. Manifestabit enim ex parte ista tractatio, in quantis *Illa Nostra* periculis fuerit, adeoque majorem sine dubio DEI laudem in piorum cordibus in præsenti Jubilæo excitabit. Cùm verò de isto errore multi extant tractatus integri, eaque quæ pro & contra illum in iis prolixè disputantur, omnia paucis his pa- *Error hic refutatus.*

gellis

gellis comprehendi nequeant, ideò, ut potiora saltem, juvante DEO, complectar, pro viribus allaborabo.

Ejus Autor; cujus enarratur. §. 3. Quemadmodum itaque Satanas ad disseminandas hæreses aliosve errores, non facilè indoctis, & imi subsellî, sed magni utplurimum nominis & famæ Viris, nequitiæ suæ instrumentis utitur; ita nostrum, quod tractandum sumsimus, dogma sparsit per virum cætera doctissimum, atque absque illo uno fuisset, Theologum non cum multis conferendum, *Matthiam Flacium.* De cujus vitâ, ut ante omnia quædam præmittam, eaque, quæ ex antiquitatum cellulis *Jani Jacobi Boissardi Vesuntini, part. 3. Iconum virorum Illustrium ad imag.* 38. *pag.* 155. *& seqq. Melchioris Adami, in vitis Germanorum Theologorum pag.* 472. *& seqq.* & aliunde colligi potuerunt, adducam, Lectori non erit ingratum.

Vita §. 4. Eundem edidit *Illyria* (quæ hodiè *Sclavonia* appellatur, *Istriæ* contermina) oppidum Venetis subjectum *Albona Anni* 1520. *d.* 3. *Martii*, supputante *Reinero*, familiâ, ùt quidam putant, nobili; ùt alii, plebeiâ quidem, veteri tamen & numerosâ. Pater ei fuit *Andreas Flaccus*, vir integer & honestus; mater *Jacoba*, ex nobili ibidem *Luciorum* familiâ oriunda. Ipse verò *Matthias Flaccus*, euphoniæ gratiâ *Flacius* & *Flachius*, à patriâ *Illyricus*, ab aliis *Francowitz* dictus est; quamvis hujus appellationis ratio lateat, ùt notat *perquam Reverend. Dn. M. Beyer. Eccles. hujus loci Diacon. meritiss.* &c. *in Nomenclatore Professor. part.* 1. *pag. m.* 11.

§. 5. Pater, qui & ipse ad virilem usque ætatem bonis literis operam dederat, cùm indolem in puero à studiis minimè abhorrentem deprehendisset, tenello ejus animo prima instillavit rudimenta. Isto posteà è vivis exemto, à tutoribus neglectus omnia ferè dedidicit *Flacius*, donec ipse suo judicio ad literas reversus, in patriâ *Francisco Ascerio Mediolanensi*, viro doctissimo præceptore usus fuit. Jactis feliciter fundamentis, *Venetias* missus, *Johannem Baptistam Egnatium* audivit ac egregios in humanioribus literis profectus fecit. Annos deinde natus septendecim pietatis ac theologici studii desiderio ardens, frequenter in templis psalmodias

dias

dias publicas juvit, totumque se Theologiæ mancipare, apud animum decrevit suum. Cùm verò eandem non nisi in frequentibus monasteriis ac magnarum Urbium Academiis tradi, se verò sumtibus ad vitam Academicam diutius vivendam necessariis destitui videret, monachismum profiteri induxit in animum. *Baldo Lupitano* proinde, Franciscanorum Provinciali, materno propinquo(qui pòst ob Lutheranæ religionis suspicionem *Venetiis*, exantlato viginti annorum carcere, in mare submersus, supplicium fortiter pertulit) consilium manifestans, dimidiam bonorum partem monasterio ejus obtulit, eâ lege, ut mox vel *Bononiam* vel *Pataviam* in illius ordinis coenobium quoddam missus, literis ac Theologiæ imprimis commodè vacaret. Qui tamen, probato priùs consilio, posteà verò perspecto & explorato *Flacii* animo ac ingenio haut vulgari, ut is spreto monasterio, Germaniam adiret, ac viris in eâ doctis operam daret, autor fuit.

§. 6. Placuit hoc *Flacio* consilium, quo tamen præcisè tempore is iter ingressus sit, in eo dissentiunt autores: nos antè laudati *Melchioris Adami* relationem eloquemur. Perlectis itaque Evangelicorum aliquot scriptis, relicto monachatûs desiderio, in Germaniam, antè non visam, venit, omni penè destitutus viatico, ac primùm quidem *Basileam* appulit *anno trigesimo nono*, ubi à *D. Simone Grynæo*, hospite pòst & præceptore, amicè exceptus est. Eodem anno finiente, ad suum gentilem *Matthiam Garbicium*, qui *Tubingæ* Græcas literas profitebatur, profectus ejusdē usq hospitio pro facultatibus ipsius non illiberali, & *Joachimi Camerarii*, qui eódem ante biennium venerat, aliorúmque benivolentiam expertus est. Inexplebili *D. Martinum Lutherum* & *M. Philippum Malanchthonem*, duumviros illos Papicidas, videndi desiderio, *anno* demum 1541. *Ratisbonam*, ubi comitia celebrabantur, transiens, *Witebergam* adiit.

§. 7. Ibi qui ei faverent & succurrerent, non defuerunt. Discipuli, quos privatim in Græcis ac Ebraicis instituit, didactro initiò ipsum aluerunt. *Melanchthon* humanitate singulari ipsum complexus, vel quòd à Tubingensibus venerat, vel quòd præclarè de ingenio ejus speraret, omnibus re-

ctus eum adjuvit, augens & ornans hominem, suis etiam facultatibus sustentans. Cùm tentationibus de peccato, irâ DEI, prædestinatione ac aliis divexaretur, hospes ejus, *Fridericus Backovius*, Ecclesiæ ibid. minister id primùm ad *D. Bugenhagium*, vulgò *Pomeranum*, deinde ad ipsum *Lutherum* detulit: quibus tandem, post preces etiam publicè pro ipso fusas, literarum sacrarum auditis consolationibus, fuit liberatus. Pòst *anno* 44. ad professionem Linguæ sanctæ publicam promotus, & sequenti locum inter XXXIX primum obtinens, Doctoratûs Philosophici insignibus ornatus, brevi, de laudatorum Theologorum consilio, uxorem duxit. Suscepit ex eâdem filium cognominem, *Matthiam Flacium* juniorem, qui *Anno* 1562. Rectore *D. Matthiâ Colero* Icto in nostro studiosorum albo inscriptus legitur.

§. 8. Conflato deinceps bello Smalcaldico & Scholis Saxonicis dissipatis, relictâ ad tempus *Witteberga*, invitatus à *D. Nicolao Medlero*, Brunsvigæ Ecclesiarum & Scholarum Inspectore, in Pædagogio ibid. aliquot menses docuit. Bello nonnihil sedato, *Wittebergam* ad suam Professionem *anno* 47. rediit, ubi tamē non diu permansit. Divulgato enim libro Interimistico, cùm *Melanchthon* & alii de rebus mediis, quæ adiaphora dicuntur, remittendum aliquid statuerent, iis se cum paucis aliis masculè opposuit, & clandestino abitu sine stipendii promissione *Magdeburgum* concessit, & è peculio suo vixit. Ibi cùm officinæ Typographicæ Inspector ac director datus strenuè sectas varias impugnâsset, ad docendas sacras literas *Jenam* vocatus, venit *anno* 57. *d.* 27. *April.* & principiò suam egregiè ornavit spartam: nec diu tamen ibidem commoratus. Lapsus enim in *colloquio Vinariensi* & palinodiam canere recusans, migrare coactus fuit, & discessit, relicto domicilio, *anno* 62. *d.* 9. *Januarii*, ad Istrum & *Ratisbonæ* nidificavit. *Antverpiam* vocatus *anno* 67. reformandæ religioni cum *M. Cyriaco Spangenbergio*, *Hamelmanno* & aliis operam dedit. Cùm autem paulò pòst ministri illi dimitterentur, *Argentoratum* commigravit, ibique aliquantisper substitit. *Francofordiam* tandem ad Mœnum profectus, inq; suo permanens errore, quem

Argentinæ,

Argentinæ, Fuldæ & Mansfeldiæ pro disputatione acriter defendit, *anno 75. d. 11. Martii, ætatis* 55 præsente *Adamo Lonicero* Poliatro fatis concessit. Sepultus est ibidem honorificè, exequias funebri concione decorante *Casparo Heldelino Cronbergensi Ecclesiæ Pastore*: quæ typis evulgata. Epicediis insuper ac versibus epitaphiis ornatus est à *Wendelino ab Helbach, D. Johane Fraxineo, Poëtâ C. Christophoro Jrenao, Paulo Reineccero, Marco Volmario*, Theologis.

§. 9. Sicut verò *Flacius* felicissimo fuit ingenio, ita otio ignavo nequaquam deditus; verùm veritatis hostes & sectarios, præprimis, cùm Magdeburgi commoraretur, ut & posteà variis scriptis acerrimè insectatus fuit. Unde ipse in *tractatu Germanico contra Christophorum Lasium* ad Ecclesiam Augustanam ita scribit: Ich bin mir fürwar/ Gott Lob/ wohl bewust/ und mag mich wohl vor Christo und seiner lieben Kirchen rühmen/ daß ich mit meinen schreiben wieder das Interim/ Adiaphoristerey/ Schwenckfeldisterey/ und Osiandristerey und auch vom H. Sacrament nun wohl verdienet bin &c. Quemadmodum autem sine personarum respectu quosvis in veritate nutantes oppugnavit, ita omnium ferè animos in se concitavit: qui etiam, ut erroris ipsum convincerent, summâ ope fuerunt nisi. Sparserunt itaque, ipsum 1. Christi deitatem negâsse, 2. statuisse, DEum Patrem seipsum cognoscendo & intelligendo genuisse Filium, 3. Evangelium psittaco comparasse, 4. Justificationem cum renovatione confundere; & plura alia, quæ tamen pro mendaciis habet *Flacius in peculiari tractatu:* Bericht von etlichen Artickeln der Christlichen Lehr &c. *Anno* 1559 *edit.*

§. 10. Antequam ad alia pergamus, librorum illius est facienda mentio. Conscripsit autem ultra centum libros & tractatus, Latinos partim, partim Germanicos (licet linguæ Germ. nunquam perfectè peritus fuerit) typis evulgatos, quorum plurimos recenset *D. Conradus Gesnerus in Bibliothec. fol. 593. & seqq.* Inter quos opera quædam auro & ostro contrà cara non sunt, v. g. *Historia Ecclesiasticæ Centuriæ, Magdeburgenses dicta, quas Magdeburgi* subsistens, aliis doctissimis viris *& scripta*

adiutus,

adiutus, adornavit; *Clavis Scripturæ*, seu opus de sacrarum Literarum sermone; *Glossa in N. testamentum*, &c.

Erroris occasio: Synergismus.

§. 11. Et hæc sunt potiora, quæ de erroris tractandi & refutandi Autore reperire potuimus: à quibus ad ejusdem occasionem properandum est. Vigebat tum temporis, cùm *Jenæ* esset *Flacius*, Synergistarum error, cujus fœcunda semina in variis scriptis ac libris à *Philippo Melanchthone* editis sparsa fuerunt, teste *Hüttero super Form. Concord. artic. 2 pag. 204*. Statuebant illi tres conversionis causas, Spiritum, verbum DEi & voluntatem hominis. Fingebant, hominem in rebus spiritualibus non prorsus ad bonum esse emortuum; sed tantùm graviter vulneratum & semimortuum. Et quamvis liberum arbitrium infirmius sit, quàm ut initium facere & seipsum propriis viribus ad DEum convertere & legi DEI toto corde obedire possit; tamen si Spiritus S. initium faciat, & nos per Evangelium vocet, gratiam suam, remissionem peccatorum & æternam salutem nobis offerat: tunc liberum arbitrium propriis suis naturalibus viribus DEO occurrere, aliquo modo (aliquid saltem, etsi parum & languidè) ad conversionem suam conferre, eam adjuvare, cooperari, sese ad gratiam præparare & applicare, eam apprehendere, amplecti, Evangelio credere, & quidem in continuatione & conservatione hujus operis, propriis suis viribus, unà cum Spiritu S. cooperari posse; ùt prolixè eorum mentem *Declaratio super Form. Concord.* declarat.

Quam propugnabat Strigelius. oppugnabat Flacius.

§. 12. Eundem errorem fovebat non solùm, sed præcipuus ejus propugnator existebat *Victorinus Strigelius* & longè lateque disseminabat. Huic, ùt par erat, masculè se opponebant *Illyricus* & *D. Simon Musæus*, uterque in novo Lycæo tum professor Theologus, synergismum ex verbo DEI oppugnabant, & exesse jubebant. Cùm verò neutra pars alteri vellet cedere, res ad Academiæ Fundatores & Nutritios Munificentissimos est delata, qui de tollendis dissidiis & omnibus malis à recens natâ Academiâ averruncandis apprimè solliciti, nihil, quod boni erat Principis, intermiserunt. Quò proinde innotesceret, quid & quâ ratione mota utraque pars

statu-

ftatueret, & periculosæ controversiæ eò sopirentur citiùs, amicum Colloquium inter eas *Vinariæ* habendum decretum est. Illo itaque annuo ferè tempore antè indicato, quò utraque pars suam sententiam brevibus thesibus includeret, easque publicè defendere parata esset, *primæ sessionis dies fuit Augusti secundus anni sexagesimi.* Disputatum tum fuit per integram septimanam arce in Vinariensi Hornstein coram Illustrissimis Saxonibus, præsentibus Consiliariis, Superintendentibus, Pastoribus, multisque Studiosis Wittebergensibus, Lipsiensibus & Jenensibus, aliisque civibus & aulicis, sicut refert *B. Musæus in Præfatione Disputationi Vinariensi à se editâ præfixâ.*

& in colloquio Vinariensi,

§. 13. Factâ proinde dicendi potestate, *Flacio* visum fuit faciendum, ut propositiones suas breviter percurreret, & principalem syllogismum, cui primarium sententiæ robur inesset, proponeret. Inde *c. l. p. m. 6.* ita argumentatur: *Impossibile est, ut res, creatura aut causa penitùs spoliata suis bonis viribus, quicquam boni verè operari aut cooperari possit sola aut cum aliis: multòminùs, si insuper malas aut contrarias vires nacta est. Sed naturalis homo, teste Scripturâ, non tantùm omnes bonas vires amisit, quod ad DEum ac veram religionem, & ejus obedientiam; sed etiam insuper pessimas, & contrarias nactus est. E. impossibile est, eum quicquam boni operari aut cooperari.* Majorem & minorem probat diversis Scripturæ dictis, quæ *ibidem* legi possunt.

hoc usus syllogismo.

§. 14. Hoc argumentũ quoniam firmum & Scripturarum testimoniis confirmatum erat, *Strigelii* jugulum petebat, ab eodemq; dissolvi non poterat. Unde tergiversatus, tandem *p. m.* 14 dicebat, se concedere totum argumentũ de peccato originis, & naturâ nondum regeneratâ, quæ prorsus animalis sit, & regatur tantùm naturalibus viribus sine Spiritu S. quæque nondum habeat initia conversionis. Cùm verò regereret *Illyricus*, non posse id de originali peccato intelligi, nisi simul de libero arbitrio acciperetur, cujus malitia ex naturali corruptione dependeat; regessit *Victorinus*, peccatum significare tantùm ἀταξίαν seu inordinationem, non autem πανολεθρίαν substantiæ hominis, ejusve proprietatum, & prolixè de natu-

Regerit Strigelius.

 râ ac-

& argumentum aliquod insinuat, ra accidentis cœpit differere. Quæ *ibid.* disputat huic argumento inclusit *Hutterus c. l. p. 24. N. accidens potest corrumpere substantiam. P. O. est accidens, liberum autem arbitrium est substantia, E. peccatum O. non potest corrumpere liberum arbitrium & proinde liberum arbitrium, suas adhuc vires habet.*

quod malè solvit Flacius. §. 15. Et hoc fuit argumentum, quod velut Gorgonis caput objectum, *Flacium* in hæreticum ex improviso, præterque omnium spem transmutavit. Etenim non aliâ statim tum succurrente responsione, absurdum illud longè maximum, *peccatum originis esse substantiam*, profiteri non fuit veritus; cùm tamen aliam facilè potuisset invenire viam. Nec enim major, nec minor in dicto argumento simpliciter toleranda est. *Ejus vera quæritur solutio,* Idquod ut clarum evadat, nonnulla de peccati originis naturâ erunt adducenda.

& præmittitur, quod peccatum O. sit privatio, §. 16. Definiunt autem veteres cum *Anshelmo* peccatum originis, justitiæ originalis privationem. Et quidem quòd peccatum originis dicat privationem, ipse *Paulus* edocet *Rom. III. 23.* omnes enim peccaverunt, & *destituuntur* gloriâ DEi. Quòd verò ista non levis aliqua, sed fœdissima, & maximè horrenda sit privatio, ex summâ justitiæ originalis præstantiâ colligitur. Erat enim ista humanarum virium perfectio & conformitas cum Archetypo; quâ mens essentiæ & voluntatis divinæ distinctâ cognitione illustrata; *maximi doni,* voluntas promtâ & invariatâ ad bonum inclinatione, perfectoque DEI cogniti amore; appetitus verò summâ concordiâ, svavique cum superioribus facultatibus consensu præditus. Per hoc ornamentum poterat homo debitam DEO præstare obedientiam; diligere eundem ex toto corde, ex totâ anima, & ex omnibus viribus.

§. 17. Acceperat verò primus humani generis sator divinum istud ornamentum, vestem illam nuptialem & regiam, quâ DEO serviret & placeret, non pro se solùm, sed pro toto genere humano, in quod naturali generatione propagandum erat: ut ita omnes ejusdem posteri ex primævâ Dei institutione ad eam, justitiã sc. & sanctitatẽ originalem habendã obligentur. Is tamẽ unâ cum sociâ suâ, quod acceperat,

non

non diu retinuit, ſed perſonato ſerpenti, ad infelicem mali morſum incitanti, morem gerens, & ſibi & poſteritati amiſit, *Gen. III*, 6. *Rom. V*. 15.

§. 18. Tanti ergò boni ac doni in locum triſtiſſima ſucceſſit privatio, ut nunc *naturâ* i.e. ab ortu ſtatim & origine noſtrâ *ſimus filii iræ*, *Eph. II*. 3. Naſcimur proinde vicem ſapientiæ cum ſummâ ignorantia, tenebris & caligine; loco amoris divini cum ejusdem odio, averſione & fugâ. Appetitus quoque ſenſitivus ſolutus eſt, & ortus motus ille civicus, ac inteſtinum bellum, quod priusquam homo ipſe diſſolvatur, nunquam ſolvitur. Vid. 1. *Cor*. 1. 23. c. *II*. 14. 2. *Cor*. *III*. 5. *Rom*. *VII*, 14. & *ſeqq*. *VIII*. 7. *Phil*. *II*. 13. *Joh*. *I*. 13. & alia.

§. 19. Hoc itaque eſt noſtrum patrimonium, noſtra hæreditas à primis parentibus in nos derivata, & nobiſcum nata. *Illyricus* verò in *libello de peccato orig. & lib. arbitrio Anno* 1560. *edito*, contendit, hanc privationem non eſſe omne malum nobiſcum natum, ſed vix dimidium ejus. Non ſolum enim bonum fuiſſe amiſſum, ſed malum quoque inſuper acceſſiſſe, quod habitum poſitivum vivum & graſſantem quandam in nobis peſtem ac venenum appellitat. Vid. etiam *Clav. part*. 2. *p*. 480. Verùm nullum poſitivum *ſtrictè & in rigore metaphyſico* tale, formaliter & de ſe peccatum eſſe, cum Scripturâ, naturalis docet ratio. DEus enim nullo modo peccati; omnis tamen entis ac poſitivi, cujuscunque generis ſit, ſi non particularis, univerſalis tamen & conſervans cauſa eſt. *nec importet quid poſitivi.*

§. 20. Aliud tamen alii malo iſti connato addunt malum, *concupiſcentiam*, quam ſub peccato originis comprehendi volunt; quorum mens rectè explicanda eſt. Monendum proinde (1) per concupiſcentiam non intelligi, ipſam vim & facultatem concupiſcendi ſecundùm ſe, quæ homini naturalis & eſſentialis eſt; nec actum facultatis appetitivæ in ſe ſpectatum, qui etiam homini adhuc integro, ubi peccatum nondum erat, conveniebat: Sed ſpeciatim intelligitur *prava concupiſcentia*. (2.) Concupiſcentię voce dupliciter accipi 1. pro actu primo, nempe pronitate ad malum; 2. pro actu ſecundo, ſeu pro ipſis inordinatis motibus & appetitionibus. *Quid de concupiſcentiâ ſentiendum?*

 Sic

Sic *Augustana C.* eâ voce actum primum & secundum intelligit *artic. 2.* ut *Apologeta* docet. Ita etiam h. l. sumi potest, ut sc. & pronitatem ad malum, & actus inordinatos suo amplexu comprehendat. Hi quidem non nascuntur nobiscum, sed quotidiè in homine excitantur, unde possunt & solent à nonnullis ad actuale peccatum referri: quia tamen non dependent à liberâ nostrâ voluntate, sed præter voluntatem ex connatâ illâ ad malum pronitate, necessitate quâdam fluunt ac oriuntur, ideò communiter ad peccatum originis referuntur; quemadmodum ipsa Scriptura motus concupiscentiæ inordinatos & peccata actualia contradistingvit *Jacob. I. 15.* (3.) Concupiscentiâ pravâ duo involvere, unum est *materiale*, facultas scil. appetitiva, ejusque actus; alterum *formale*, quod est pravitas, *ἀταξία* & *ἀνομία* adhærens. Prius in se & per se à DEO pendet, atque etiam in Adamo nondum lapso fuit, ut inferius disputabitur, adeoque peccatum non est; posterius verò Satanæ & homini peccatori debet originem.

Q. an p. o. sit pura privatio? cujus duplex sensus explicatur,

§. 21. Quid nunc de quæstione illâ, quæ inter nos & Pontificios agitatur; & huc omninò pertinet: *an sc. peccatum originis sit pura privatio*; sentiendum sit, ex dictis non potest obscurum esse. Ea enim dupliciter potest intelligi (1) ut vox *pura* intelligatur adjecta ad excludendam entitatem & positivum in rigore metaphysico & strictissimè sumtum, ut sensus sit: an peccatum originis sit pura puta privatio, ita ut nihil entitatis positivæ includat? (2) ut vox *pura* intelligatur adjecta ad excludendam destructionem & corruptionem, & sensus sit: an peccatum originis sit nuda privatio, nævus levis atque macula absque naturalium destructione & corruptione adhærens?

& agitur 1. De priori

§. 22. Priorem sensum quod attinet, circa illum distinctione opus est; peccatum scilicet considerari potest dupliciter, vel 1. *abstractivè* & formaliter, ut est *ἀνομία* & rectitudinis inesse debitæ carentia; vel 2. *concretivè*; quomodo præter dictam rationem formalem involvit ejusdem subjectum (& facultatem & actum appetendi) quod tamen secundum se non est peccatum. Quomodo etiam cum peccatis actualibus

libus res habet, v. g. furtum formaliter consistit in ἀνομίᾳ, quia scilicet manus ad rem alienam invito domino extenditur; quoniã tamen pro subjecto seu materiali habet actionem, quæ secundùm se spectata non est peccatum, ideò etiam id totum ex actione & ἀνομίᾳ quasi aggregatum, furtum appellare consvevimus. Itaque intellectus benè deprehendit ac novit discrimen inter facultatem, actumque appetendi, ἀνομίαν & ἀταξίαν adhærentem; quia tamen eadem conjunctissima sunt, ideò complexum illud, utrumque includens uno verbo peccatum originis appellamus; idque præeunte Scripturâ, quæ concupiscentiam peccatum appellitat *Rom. VII. 7.*

§. 23. Jam dicendum, peccatum originis in concreto spectatum involvere aliquid positivi, subjectum scilicet, seu materiale, quod tamen secundùm se non est peccatum, ut aliquoties dictum. Si verò formaliter & in abstracto spectetur, realis entitatis nihil involvit, sed quantum quantum est, pura puta privatio meretur dici.

§. 24. Ex quo & illud fluit, peccatum orginis formaliter, & secundùm id, secundùm quod peccatum est, spectatum, non esse substantiam prædicamentalem, nec accidens prædicamentale. Ad hæc enim requiritur, ut entia sint, peccatum autem originis hâc ratione spectatum ens non est, sed entis privatio. Quando proinde à Theologis habitus & qualitas salutatur, id non propriè, sed eo capiendum est modo, quo privatio à Philosopho salutatur habitus, 5. *Metaph. c.* 17. Si verò substantia pro essentiâ sumatur, tum peccatum O. ob eandem rationem non est substantia, nec substantiale quid, sed accidens hominis prædicabile, non positivum quidem, quale est albedo; sed privativum, quale est cœcitas.

An p. o. sit accidens, an substantia, docetur, & sic ad minorem Strigelij respondetur.

§. 25. Quod verò posteriorem sensum attinet, eum affirmant Pontificii, nos negamus. Nam originalis justitia non erat externum hominis accidens & nudum ornamentum, sed erat homini certâ ratione naturalis. Non scilicet constitutivè, nec consecutivè, ex naturalibus principiis fluens, sed

2. de posteriori.

ſed quatenus erat donum naturę humanę concreatum, atque in poſteros propagandum, quod internè animæ facultates & vires perficiebat ad actus ſuos ordinatè, & benè exercendos absque ullo nævo aut maculâ. Quia itaque peccatum originis inſignis hujus doni eſt privatio, non poteſt non intimam & profundiſſimam animæ facultatum & virium naturalium depravationem importare. Ipſæ quidem facultates humanæ ſecundùm ſubſtantiam ſuam non ſunt abolitæ, abolita tamen eſt in iis vis ac facultas actus ſuos rectè, legique divinæ per omnia conformiter exercendi. Nec Intellectus proinde humanus lumine concreato privatus, de DEO rebusque divinis, ùt oportet, cogitare, nec voluntas in bonum ferri valet: velut hoc dicta ſuprà citata ſatis confirmant.

Hominem contrarias vires nactum eſſe, declaratur.

§. 26. Licet itaque peccatum originis formaliter nihil poſitivi importet, veritati tamen vim non faciebat, ſi rectè explicetur, *Illyricus*, in argumento ſuo adſerens, noſtras facultates viribus bonis non ſolùm privatas, ſed etiam contrarias vires nactas eſſe; videlicet, non per poſitivi alicujus additionem, ſed per præſentis abolitionem. Appetitus n. v. g. eſt potentia, quâ homo in aliquid fertur; jam autem amiſit homo vires ad bonum appetendum; ideò jam iis abolitis, non poteſt non pronus eſſe & ferri in malum. Ut ita conditio humana longè ſit deterior, quàm ſauciati iſtius hominis, qui in latrones inciderat. *Luc.* 10. *Ille enim miſer*, ùt rectiſſimè loquitur *Flacius in colloq. p.* 11, *etſi fuerat à latronibus ſauciatus horribiliter, non tamen prorſus omnes ſcintillas ac micas vitæ amiſerat; nec erat totaliter extinctus, alioqui non potuiſſet reviviſcere & ſanari. Ego verò aſſero, hominem originali lapſu non tantùm ſauciatum, ſed (ùt Scriptura affirmat) eſſe penitus mortuum, extinctum & interfectum ad bonum in ſpiritualibus; & contrà inſuper vivum ac vigentem ad malum.*

Major Strigelii negatur.

§. 27. His ita ſe habentibus, nullo patet negotio, quid ſentiendum ſit de majore argumenti Strigeliani. Videlicet de ejus veritate multis agi poſſet, quia tamen peccatum originis eſt accidens privativum, ideò etiam, ne fruſtrà charta perdatur, de eâ propoſitione h. l. non aliter agendum, quàm quatenus

quatenus ita accipitur: *N. accidens privativum corrumpit substantiam.* Hæc verò propositio non universaliter, sed tum vera est, si de destructione effectivâ & terminativâ intelligatur: nullum scilicet tale accidens potest corrumpere substantiam effectivè & tanquam terminum; potest tamen formaliter & subjectivè, quatenus nempe ex eâ tollit, excludit ac removet entitatem eam, cujus est privatio, quâque remotâ, substantia suum munus, ad quòd antè destinata erat, obire amplius non valet. Exemplo nobis sit cœcitas, quæ hominem hoc corrumpit modo, dum scilicet tollit ab homine potentiam aliquam, quâ remotâ, quamvìs homo omnes omninò animæ facultates retineat, ad actum tamen videndi eliciendum ineptus est. Eodem quoque modo peccatum originis animæ facultates depravare & corrumpere statuendum est. Scilicet quia id excludit omnes benè agendi & cogitandi vires, ideoque eas ita depravat ut, sicut anteà non nisi in bonum; ita nunc non nisi in malum ferri aptæ natæ sint.

Flacii responsio repetitur & explicatur.

§. 28. Hisce *Illyricus* potuisset & debuisset solvere nodum istum non sanè Gordium *à Victorino* allatum; malebat tamen uno ictu eum dissecare, & peccatum originis substantiam esse asserebat. Per substantiam verò non tantùm substantiam prædicamentalem, id est, rem per se subsistentem intelligebat, sed etiam eo nomine essentiam complectebatur; ut ita peccatum originis & per se subsistere, & ad esse hominis pertinere, ejus fuerit sententia, quemadmodum id ex dicendis satis liquebit. Qui profectò error est, puero etiam indignus.

Erroris duplex causa adsignatur.

§. 29. Quî autem fieri potuerit, ut tantus Vir in eum fuerit prolapsus, duplex adsignari potest causa. Una fuit nimia ejus in sermone præcipitantia. Testatur enim laudatus *Musæus in citatâ præfatione*, quòd ille admodum præceps in sermone & justo celerius locutus fuerit, sive naturæ vitio, sive consuetudinis adsvefactione, sive ne nimium temporis absumeret, disputationemque ad finem maturè perducere posset. Altera fuit, quòd Philosophiæ non habuerit accuratam cognitionē, sed acerrimus ejus osor extiterit, ut tùm ex variis

dicteriis,

dicteriis, quibus passim rodit Philosophiam, tum etiam ex multis vitiosis argumentis, quæ passim proponit, & ex totâ hâc disputatione patet. Ut ita hic in defectu, ubi *Victorinus* in excessu, peccaverit, ceu laudatus *Musæus c. l.* testatur. Ille enim non libenter disputabat ex S. literis, sed *ex omnib. aliis scientiis*, inquit *Musæus*, *& libris, opinor etiam Æsopo & Marcolfo maluissent disputare adversarii, quàm ex S. literis.* Ut ita medium tenendum, & Philosophiâ, sobriè tamen, utendum esse, magnorum Virorum uterque magno suo confirment damno.

Collegarum dissensus

§. 30. Cum verò hoc ita contigisset, extemplò *Illyrici* amici laborârunt, ut eum in veram viam reducerent, atque ut is duram suam phrasin corrigeret, amicè petierunt. *D. Wigandus, D. Simon Musæus & alii ejus collegæ, qui in arce Vinariensi, mandato trium Illustrissimorum fratrum Saxoniæ Ducum disputationi isti interfuerunt, Illyricum statim in ipsâ disputatione fraternè & fideliter (id quod sæpiùs ex eorum ore audivi) admonuerunt, ut ab hâc novâ & periculosâ & blasphemâ veterum Manichaeorum propositione, quæ in Ecclesiâ DEI magnas turbas datura esset, abstineret, & errorem Victorini de libero arbitrio non falsâ propositione, sed verbo DEI refutaret*, ait *D. Cunradus Schlusselburg. in Catalag. Hæretic. lib. 2. pag. 4.* Sed quid fit? *Flacius* cristas suas erigit, turpe sibi esse ratus, ab aliis inferioribus & junioribus admoneri ac corrigi. Omnium proinde Collegarum fraternas & fideles admonitiones adspernatus, illis dissvadentibus, invitis & repugnantibus, pertinaciter plurimis scriptis blasphemam suam propositionem palliare, incrustare & propugnare cœpit.

Flacio ingratus;

§. 31. Neque, ceu fieri svevit, parastatis tanti potissimum Viri autoritate initiò fascinatis, fuit destitutus. Eos inter præcipui fuerunt *L. Nicolaus Amsdorffius, D. Johannes Fridericus Cœlestinus, hîc Theol. P. P. M. Cyriacus Spangenbergius, M. Christophorus Irenæus, Ducis Saxoniæ Johannis* Wilhelmi *Concionator aulicus, M. Martinus Wulfius, Pastor* Calensis, *Hieronymus Opicius, Theologus Ratisbonensis, alii item Pastores, M. Thomas Hoffmannus, Matthias* Schneider/ *Antonius Otto, Jonas Francus, Tobias Rupius,* Wilhelmus *Sarcerius, Johannes Beatus; Henricus Fridelandus, Martinus Otmansdorfius, Casparus Heldelinus* & alii. Imò testan-

aliorum applausus enarratur.

testantur quidam Pastores Mansfeldenses *in tractatu Germ:* zwo hochnothwendige Fragen/ *pag 4. M. Mencclinū* Superintendentem Mansfeldensem *Vinariæ* loco & nomine omnium istius Comitatûs Pastorum hanc sententiam esse confessum; quem tamen deinceps aliter statuisse, testatur *Flacius* in der warhafftigen Antwort auff den falschen arglistigen Bericht *anno 73. edit.*

§. 32. *Zizaniâ* tanta subitò incrementa capiente, rectè sentientium cœtus non tacendum, sed Ecclesiam ab eâdem liberandam ac purgandam esse, arbitratus fuit. Varia proinde contra impiam istam sententiam tela evibrârunt eruditi, quorum nonnulla etiam *Formula Concordiæ* urget; potiora adducemus: I. Mansit & non abolita est species humana, E. quia peccatum originis Satanæ fraude introductum est, id non pertinet ad illius substantiam. II. Omnis substantia à DEO creata est, *Job. I, 3.* Si E. peccatum originis est substantia, etiam à DEo creatum est, quod Manichæum. III. Peccatum O. est à Diabolo. Si E. est substantia, Diabolus creator est, quod iterum Manichæum. IV. Si peccatum est substantia hominis, Christus, qui non adsumsit peccatum, *Ebr. IV,* 15. naturam humanam non adsumsit, quod est contra *Ebr. II, 17.* & alia clara dicta. V. Christus humanam substantiam à morte æternâ redemit. Peccatum O. non redemit, E. VI. Spiritus S. nostram substantiam sanctificat. Peccatum O. non sanctificat. E. VII. Humana substantia à morte resurget. P. O. cum sanctis non resurget. E. VIII. DEus bona opera requirit à substantiâ humanâ. Sed ea non requirit à peccato originis, E. IX. Oramus, ut DEus nostra peccata, non autem substantiam nostram nobis remittat. E X. In baptismo lavamur à peccato orig. *Eph. V. 27.* substantia hominis autem non occiditur. E. XI. Clavium potestate peccatorum, non autem substantiæ hominis remissionem accipimus. E. Ut ita dogma illud Flacianum cum præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus, scil. cum doctrinâ de creatione, incarnatione Filii DEI, redemtione, sanctificatione, resurrectione, bonis operibus, creatione, baptismo, & clavium potestate directè pugnet.

Error oppugnatur.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

§. 33. Hisce & aliis gravissimis argumentis cùm peteretur *Illyricus*, suam sententiam sive ex malitiâ, sive inconsi-

Ulterius declaratur;

 derantiâ

derantiâ abnegare recusans, eam uberius declarare & diverticula quærere coactus fuit. Quamvis verò in multis scriptis id tentaverit, mentem tamen suam ita proponit, ut Oedipo ferè ad eam percipiendam opus sit; quam tamen ut assequi valeamus, adnitemur.

De quo peccato sit sermo?

§. 34. Primo itaque monet, sibi non sermonem esse de quovis peccato. *Scio enim* inquit in *Clav. part. 2. p. 483. peccatum, ita pervasisse totum hominem, ac etiam totum mundum, ut possit in toto homine & in omnibus prædicamentis reperiri, ac sit fermè transcendens quoddam... Aliquod enim peccatum est substantia, nempe ipsa caro, vetus Adam, cor lapideum, aut sensus carnis: aliquod est accidens, ut vanæ pessimæ inclinationes, nobiscum natæ: aliquod est habitus, ut valdè varia vitia consuetudine contracta, aut etiam à Diabolo post nativitatem nobis inspirata: aliquod est actio, vel interna, vel externa: aliquod est quies seu actionis neglectio, qualia sunt peccata omissionis: aliquod est etiam passio, ut perterreri magis hominum injustis, quàm DEI justissimis minis.* &c.

Flacius duriter loquitur,

§. 35. Deinde negari non potest, *Illyricum* durissimis locutionibus nonnunquam fuisse usum. *p. 480. c. l.* ait: *totus homo, quantus quantus jam est, sive in substantiâ, sive in accidentibus, quatenus talis est, mera abominatio & peccatum est.* Pag 490 dicit: *Cùm igitur tantùm istæ duæ pessimæ & depravatissimæ partes (corpus & anima) in homine sint, necesse est, eas ipsas esse illud nativum malum, quod cum DEo pugnat, & quod DEus condemnat, quodq; illam originalem pestem vocamus. Pag. 495. Etiam in Diabolis sunt adhuc multæ præstantes creationis dotes, & quidem multò excellentiores, quàm in carnali homine: sed tamen, quia omnes contra DEum militant, ideò sunt malæ & mera peccata. Quid enim aliud sunt, quàm injustitia armata? Sic quoq; res se habet in homine. In tractatu Germ:* Christlich Bekendnüs von der Erbsünde *ann. 71. part. 1. pag. b. 2.* ait: das kan ich / der Herr Spangenberg / und andere viel Lehrer der Kirchen Christi nicht dulden / sondern sagen strack darwieder / daß das wesen der Menschen selbst / und wie D. Luther ausdrücklich saget / das Hertz und Vernunfft samt ihren bestē kräfften Sünde sey. Hievon ist nu der Streit / und ūm der Ursache muß man gebrauchē das Wort / Wesen / auff daß man wiße / daß der Baum selbst / an seinen gantzen stammen und Wurtzel / auch

auch samt seiner fürnemster und edelster Natur so gar verkehrt und verderbt ist/ daß es eine rechte und warhaffte Sünde sey. Similia leguntur *ibid. pag. a.* 3. & alibi passim.

§. 36. Protestatur tamen *Illyricus* plurimis in locis, suorum verborum & dictorum non eum, quem termini in vero suo ac consveto usu sumti, important, sed longè aliũ sensũ esse: num tamẽ contradictionis notã semper effugiat judicent alii. V. G. in *Clav. cit. l. p.* 482. ait: *Ut igitur maximè remaneat adhuc aliquid in homine à DEo creatum, quod propriè ac per se bonum est, &* peccatum *dici nequit, sicut & in Diabolis adhuc aliqua præstans Dei creatura superest,* &c. Sic alibi passim clamat, sum̃am sibi fieri injuriam, si sua sententia de toto homine, qualem coràm intuemur, explicetur, & addit in *cit. tract. Germ. pag. g.* 4. Welche Calumnien und verkehrungen der warheit Gottes/ gewißlich Christus der Herr an dem Jüngsten Tag greulich richten und straffen wird.

mollius tamen vult intelligi.

§. 37. Itaque adserit, se hominem non usurpare pro totâ substantiâ, omnes partes includente, nec substantiam hominis pro totâ ejusdem essentiâ. Hinc in *Clave p.* 482. distinguit inter *substantiam materialem & formalem. Potest enim*, inquit, *considerari substantia testacei alicujus aut vitrei, aut argentei vasis, tum quatenus ex tali materiâ est, tum quatenus vas illud sic formatum est pulchrè aut turpiter, in formam honestam aut fœdam perductum. Possis enim ex eâdem materiâ facere vas honoratum & inhonorem, ut ex vitro aut argento poculum: aut vas ignominiæ, ut matulam aut situlam* &c. *Eodem modo* ait, *in homine distinguendum esse inter substantiam materialem & formalem, seu formam substantialem. Loquor autem*, inquit, *non de istâ externâ & crassâ formâ, quam considerat in adolescente puella, aut etiam in toto homine Philosophia, non multò sanioribus oculis contemplans ejus formam* (*tametsi & ea sit valdè corrupta & labefactata*) *ut quòd homo constet corpore & animâ, habeat staturam erectam, duos pedes, manus, oculos, aures & similia, sitq; animal ridens, numerans, ratiocinans. Sed loquor de eâ nobilissimâ substantiali formâ, ad quam præcipuè ipsum cor, aut potius anima rationalis formata erat, ita ut ipsa suâ essentiâ esset DEi imago, eumq; repræsentaret, utq; suæ substantiales potentiæ, intellectus & voluntas, affectusq; ad DEI proprietates essent conformatæ, eumq;*

Distingvit inter substantiam materialem & formalem,

quidq; per substantiam hominis *tum repræsentarent; tum verè agnoscerent, & promtissimè amplecterentur.* Hâc itaque in materiâ se substantiæ humanæ appellatione non substantiam materialem, utpote quæ remanserit, tametsi valdè vitiata; sed substantiam formalem, quæ planè deperierit, & in contrariam substantiã, quę ipsissimum peccatum originis sit, mutata fuerit, intelligere, *ibid.* adserit.

& hominem intelligat, indicat: §. 38. Ita etiam in *cit. tractat. Germ.* ait, se per hominem non intelligere totum humanum individuum, cum omnibus ejus viribus, quemadmodum Philosophia, aut etiam Medici de homine loquuntur & scribunt; hac verò in materiâ se vocem istam usurpare propriè & præcipuè de animâ, quodq; in eâ nobilissimum est, nunc autem à Satana depravatum; vid. *pag. g. 2.* Quô pertinet, quod in *Clave pag. 49.* ait, *in Dialecticâ quidem & Philosophiâ esse verum, quòd homo sit animal rationale: at in Theologiâ nequaquam.*

Triplicem facit hominem §. 39. Si rectè mentem ejus percipio, hoc vult, Theologum, quando in esse suo hominem considerat, alia respicere, quàm quæ respicit Philosophus. Hic considerat ea, quæ sensibus sunt obvia & sine revelatione divinâ cognosci possunt: ille verò perpendit alia, quæ nempe naturali lumine sunt impenetrabilia, dona scil. & vires internas, quæ ipsi in spiritualibus conveniunt, vel non conveniunt amplius. Hinc licet Philosophia dicat, essentiam humanam consistere in eo, quòd sit animal rationale, Theologum tamen, qui non in cortice debeat hærere, in eo non acquiescere, sed oculis mentis ipsam respicere medullam. Unde cùm triplex hominum status sit, innocentiæ, ante regenerationem & post regenerationem; ideò triplicem facit hominem *c. l.* dreyerley Menschen seyn/ der erste ist der volkommene Mensch/ der ein Bild Gottes gewesen / der andere vom Teufel ermordete und verwandelte/ so man den alten Adam nennet/ und der dritte der neue und geistliche Mensch.

in uno Adami individuo, §. 40. Quamvis verò triplicem hominem statuat, non tamen concedit, triplicem esse animam, re ipsâ distinctam, quarum quævis, priori annihilatâ, de novo sit producta, sed unam animam, à DEo creatam bonam, à Diabolo occisam & transformatam, à DEo tandem iterum immutari. Unde unum reverà manere individuum, eandem personam, ita ta-

men

men, ut is non retineat eandem formam essentialem. Ein einiges individuum, Mensch oder Person ist Adam geistlich / lebendig / und Gott ehnlich / Adam geistlich todt / und dem Teufel ehnlich / Adam wieder gebohren / und Adam glorificiret / aber er hat nicht einerley wesentliches Bildt / Gestalt oder form / sonderlich an seiner Seele / und so ferne er Theologisch oder nach der Lehre der H. Schrifft bedacht wird. Sunt illius verba in der ableinung unwarhafftiger Aufflagen *Anno 73. pag. b. 1.* Declarat hoc exemplis physicis *ibid.* Sicut scil. homo, bos, sus &c. aliam habet carnem in juventute, aliam in ætate mediâ, aliam in senectute, & tamen idem manet individuum: ita non obstante mutatione formæ substantialis, eundem hominem, eandemque remanere personam, asserit.

§. 42. Et licet propter istam animæ transmutationem Diabolum figulum appellitet, id tamen, quod ipsi ab *Heshusio* aliisque tribuitur, se statuere, Diabolum esse creatorem, & formare homines in utero materno, diabolicam calumniam esse conqueritur. Fatetur enim cum suis asseclis, Deum verum hominem in utero materno, claris dictis id contestantibus *Ps. CXXXIX,* 14. *CXXVII, 3. Act. XVII, 24. Job.* X. 3. formare. Quod verò attinet primi hominis animam, ait *Illyricus*, istam à DEO creatam, à Diabolo tantùm transformatam esse. *Nec*, inquit, *in Clav. p.* 498. *est magna potentiæ aut artis, optimam substantiam corrumpere, & ex eâ malam facere. Innumeræ artes sunt, quæ ex aliis substantiis alias faciunt, ut ex luto lateres aut testas, ex aliâ misturâ vitrum: quin etiam ancillæ ex lacte faciunt varias substantias casei, seri, recoctâ, butyri & aliorum innumerorum lacticiniorum, neq; tamen propterea sunt creatrices vel Deæ.* Cùm aliis hominibus paulò rem aliter habere arbitratur. Scilicet illos non habere ab initio justitiam debitam, sed formari veterem Adamum ex alio veteri Adamo, & quidem non à Diabolo, sed ab ipso DEO: quem eapropter artifici ex putri materiâ rem præparanti comparat. Was aber belanget die itzige Erhaltung und Formierung in Mutterleib / da formiret Gott diesen gantzen alten Adam / samt allen seinem Wesen und angebornen natürlichen eigenschafften / die sein gut oder böse / sie heisen Sünde oder Tugend / nicht anders / alß wenn ein guter köstlicher Meister

Ita ut licet primi hominis anima à Diabolo non creata, tamen transformata sit,

Unde & posteri, sed à Deo sint producti.

aus faulem Holz faule Bilder schnitzet oder machet / scribit a. l. in tract. Germ. fol. h. 3.

Respondet ad object. 1. §. 42. Brevissimè sic declaratâ absurdâ *Flacii* sententiâ, quomodo iis argumenta contra se adducta elidere laboret, videndum restat. Quod proinde primum concernit, in *Clave p.* 491. respondet, omninò periisse humanam speciem & in contrariam fuisse mutatam. Probat hoc argumento, cujus majorem desumit ex *Aristotele* (doctos enim tales Evangelistas libentiùs audire, ait) 1. *Polit. c. 2. Opere suo omnia definiuntur & potentiâ seu viribus. Quare cùm non amplius sunt talia, non sunt dicenda eadem, sed æquivoca; quemadmodùm manus ad apprehendendũ inepta, non est manus.* Jam subsumit: Homini vires ad proprium munus, ad quòd unum potissimùm fuit conditus, planè deesse: esse quidem pulchrum caput (ùt est in fabulis) sed deesse ei prorsus cerebrum, nempe facultatem tùm DEum verè cognoscendi, tùm ei obediendi. E. ipsum specie diversum esse à primo homine.

& ad reliquas, in genere, §. 43. Deinde in sæpè *citato tractatu Germanico pag. g.* ad reliqua etiam argumenta respondere conatur. Et primò omnium generalem præmittit responsionem, dicitque, ea sibi non adversari, cùm illa loquantur de homine physico & naturali, seu totâ hominis substantiâ cum corpore & animâ, omnibusque ejus viribus; se verò per hominem intelligere tantùm animam, ejusque vires præcipuas, ùt suprà etiam traditum. Deinde etiam ad singula in specie *ibi* & *in Clave* aliquid respondet: ex quibus notabiliora adducemus.

Deinde in specie ad 2. §. 44. Ad II. Respondet 1. negando, quod omnis substantia sit à DEO, quia etiam vetus Adam, filius Diaboli, genimen serpentis, cor lapideum, corpus peccati, caro concupiscens contra Spiritum sit substantia, non tamen à DEO. 2. limitando: omnem scil. substantiam à DEO esse *originariè, initialiter, ratione primæ creationis & conservationis,* non verò *ratione transformationis.* Priori itaque modo etiam peccatum originis à DEO esse, non posteriori. Ad III. Resp.

3. illum esse creatorem, qui ex nihilo aliquid producit ac fabricat, non qui aliquid transformat, alioquin etiam ancillas creatrices fore, quæ res transmutare possunt, ùt suprà dictum.

Quia

Quia igitur nec malum à DEo conditum, nec Diabolum malum creare asserit, Manichæismi se falsò accusari, passim conqueritur. Ad IV. Resp. Christum veram adsumsisse humanitatem, non tamen nostræ, sed primi hominis substantiæ per omnia similem, â nostrâ verò, si ea Theologicè spectetur, essentialiter diversam. Ad V. VI. VII. Resp ut suprà, se non intelligere totum individuum, sed loqui de animâ in summo suo gradu, qui dicatur liberum arbitrium, quatenus quidem ex bonâ arbore & DEI imagine in arborem hanc malam veteris Adami transmutata sit. Ad VIII. Resp. eadem confundi, quæ in præcedd. Ita verò se rem habere cum bonis operibus. DEum quærere primum Adamum, ejusque fructus, reperire autem transformatum, ideò velle, ut iterum is transformetur in pristinam formam, ut possit bonos ferre fructus. Ad IX. Eum non esse Christianum, qui non quotidiè oret DEum, ut præsentem corruptam substantiam tollat. Ad X. Omninò per baptismum tolli & deleri corruptam substantiam, *Rom. VI.* Ad XI. & XII. veteris Adami & corruptæ substantiæ remissionem omninò acquirendam esse, sineque eâ salutem non sperandam. Absurdior adhuc est *Christophorus Irenæus,* qui contendit, 1. DEum peccato originis propitium esse. 2. DEum peccatum in gratiam recipere. 3. Christum redemisse peccatum O. 4. Spiritum S. id sanctificare, idque proinde baptizari & salvari: teste *Hüttero c. l. p.* 41. Quæ horrenda dogmata recensuisse, sit refutâsse.

4.

5. 6. 7.

8.

9.

10.

11. 12.

§. 45. Vidimus hactenus absurda ex perverso *Illyrici* cerebro, velùt heroës ex equo Troiano, catervatim prosilientia, ita ut à quo refutando, initium faciendum sit, ferè non appareat. Confirmat is suo magno cum malo, quod dicit *Aristoteles l. 1. Phys. c. 3. t. 22.* ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος, τἆλλα συμβαίνει. Admisso enim, Peccatum originis esse substantiam, plurima alia absurda enata sunt, quæ si non omnia, plura tamen & potiora producemus.

Ex his quædam absurda eruuntur

§. 46. Et primò quidem falsum est, aliquod ens formaliter peccatum esse, ùt suprà probavimus. Fluit inde statim, peccatum originis, & malum istud nobiscum natum, esse â nostrâ substantiâ diversum. Inde etiam Scriptura S. idem non

I.

non uno in loco innuit, dum peccatum iſtud vocat *κακὸν παρακείμενον*, *Rom.VII.21.* *ἁμαρτίαν ἐνοικοῦσαν*, *v.17.* *εὐπερίστατον*, *Ebr.XII,1.* i. e. *malum adjunctum, peccatum inhabitans & tenaciter inhærens.* Quicquid autem ſubſtantiæ humanæ adjunctum eſt, eam inhabitat, & ei tenaciter adhæret, id ipſum ab eâ realiter diſtinguitur.

II. §. 47. Falſum deinde eſt, hominem aliam in Theologiâ, aliam in Philoſophiâ eſſentiam ac definitionem habere. Extra controverſiam quidem eſt, unam eandemque rem diverſorum habituum objectum fieri poſſe, diverſam autem conſiderationem diverſam eſſentiam ac definitionẽ reddere, abſonum eſt. Aliàs enim hominis definitionum ferè non eſſet numerus, cùm is in multis diſciplinis conſideretur. Patet id clarè, ſi modò, quid eſſentia ſit, ante oculos ponatur. Ea videlicet includit omnia, quæ in aliquo primò concipiuntur, ſeu omnes primos rei conceptus. Jam autem hi non mutantur ac variantur per diverſam conſiderationem rei, ſed ille conceptus, qui in re aliquâ primus eſt, talis ſemper manet: ideò etiam eſſentia rei per diverſam objectivitatem, ùt ſic loquar, non mutatur. Abſurdum proinde maximum eſt, quòd ait *Illyricus*, hominem aliam eſſentiam habere, ſi philoſophicè, aliam ſi theologicè conſideretur. Philoſophia enim aut ſuppeditat omnia prædicata hominis prima, aut non. Si illud; homo non nanciſcitur aliam eſſentiam, ſi in forum Theologicum citatur, quia jamdum habet omnia prædicata prima, & nullum aliud, quod eſſentiam ingrediatur, acquirit. Sin hoc; Philoſophia planè non novit humanam eſſentiam (cùm ad eſſentiæ cognitionem omnium conceptuum primorum cognitio requiratur) adeòque falſum eſt, hominem aliam eſſentiam habere, ſi ſpectetur theologicè, aliam ſi philoſophicè.

III. §. 48. Sine ratione quoque conficta eſt diſtinctio inter ſubſtantiam hominis materialem & formalem. Siquidem per eam materia, per hanc forma phyſica intelligeretur, tolerari poſſet; verùm quia *Flacius* nomine materialis intelligit materiam & formam, formalis autem ſubſtantiæ nomine vires animæ rationalis, rejicitur meritò. Vis enim & virtus agendi,

agendi diversique rei alicujus usus non statim faciunt substantiā, sicut vitrum ad diversos usus accomodatum eandem substantiam retinet; ideò ex eo solo, quòd homo tali vel tali agendi virtute pollet, illi non statim nova substantia adscribenda venit.

§. 49. Absurdum porrò est, quod *Flacius*, animam in summo suo gradu, ùt loquitur, substantialiter transformatam esse, adserit. Posse quidem substantiam in aliam essentialiter diversam transmutari, idque non semper magnum laborem requirere, naturæ peritus non negat: id tamen fieri non potest, nisi ubi substantia *composita* est. Ubi verò simplex & immaterialis est entitas, ibi transmutatio substantialis ne cogitari quidem potest, sed sola annihilatio locum habet. Substantialis enim transmutatio presupponit diversas partes, quarum, unâ sublatâ, alia succedat; sicut quando ex caseo fit vermis, illius forma perit, eiq; forma vermis succedit in materiâ: immaterialis autem substantia, qualis est anima, partium expers est, communi omnium consensu. IV.

§. 50. Absonum & id est, unum individuum diversæ speciei esse, cùm diversas species reipsà diversa individua requirere, sit imotæ veritatis. Ejusdē farinę est, animâ substantialiter mutatâ, eandem manere personam, idem individuum. Verum quidem est, diversitatem materiæ non mutare compositi identitatem, ùt probant exempla §. 40. mutari tamen individuum, ubi non manserit eadem forma, nôrunt & accuratè probant Philosophi, præprimis in doctrinâ de augmentatione, qui consulantur. Impium tandem est, quod asserit *Flacius*, DEUM artifici similem omnia in homine, & mala quidem ex malâ formare materiâ. Quomodo enim DEUM peccati causam esse, clariùs dici posset? V. VI. VII.

Flacii responsa examinantur.

§. 51. Paucis hisce circa Flacianæ mentis explicationem prænotatis, ejusdem quoque responsa discutienda restant. Quod itaque ad 1. respondendo, ùt habetur in §. 42. infelix ille Prometheus nova fingit monstra, novamque post lapsum humanam speciem ortam esse, merum est somnium. Neque in Philosophi verbis invenit præsidium, utpote qui de instrumentis loquitur; de quibus etiam vera sunt, quæ

ex eo citat; hominem verò secundùm se spectatum instrumentum esse, nemo dixerit, nec *Flacius* ipse, nisi mente planè captus, affirmaverit.

§. 52. Quod ea concernit, quæ in §. 43 habentur, dicimus, verum quidem esse, quòd Orthodoxi vocem hominis ac essentiæ humanæ non sumant ineptè pro quâdam ejusdem particulâ, quod *Flacius* se facere clamat; quo tamen non obstante, directè eum petunt, ac ventum nequaquam percutiunt. Nam eorum probationes non loquuntur de toto homine collectivè sumto: quomodo sanè ipsi quid convenire potest, quod animæ ejus non competit, sicut v.g. homo mortalis est, anima rationalis non item. Eo verò omnes tendunt, ut probent, aliquid convenire toti homini, distributivè loquendo, & secundùm omnes partes, vel saltem secundùm quid & ratione partis præcipuæ, nempe animæ; quod tamen de originali peccato dici non queat; adeoque nec totam hominis essentiam, nec præcipuam illius partem peccatum esse, evincunt.

§. 53. Responsio ad II. in §. 44. inepta est. Nam 1. vetus Adam, cor lapideum & similia non substantiam, sed subjectum cum vitiositate notant: Suntque à DEo non ratione adhærentis malitiæ, sed ratione tantùm substantiæ. 2. Suprà dictum, omne ens à DEO esse, vel ùt causâ particulari, vel ùt universali, nec posse creaturam aliquid, nisi cooperante DEo, transformare. 3. Si asseritur, DEum conservare peccatum, ipse vitii accusatur, malique causa pronunciatur. Est enim conservatio continuata quasi creatio, fitque continuo influxu in perpetuitatem rei alicujus agendo, uti vult receptior sententia. Si ergò DEus peccatum conservat, causalitatem veram in id exercet.

§. 54. Quod ad III. respondet, facilè eliditur. Transformatio enim animæ substantialis Flaciana impossibilis est: ideò, qui docet, peccatum esse substantiam hominis, adeoque ab animâ rationali non distinctum realiter, is non potest aliter, quàm admittere; peccatum ex nihilo creari à DEo, vel à Diabolo, quod Manichæum. Quia itaque *Flacius* id facit,

Illum Mani-

cit,

cit, nihil causæ habet, cur sibi nomen Manichæi injustè tribui, conqueratur. Pertinent huc verba *Schlußelburg. c. l. p.* 86. *Quando illos*, inquit ipse, *qui perperam de peccato sentiunt, Manichaismi accusamus, tum non omnium & singulorum errorum Manetis illos accusamus; sed similitudinem tantùm dogmatum cum Manichais convenientium quoad doctrinam de peccato originis illis non immeritò objicimus. Deinde in ipsâ de peccato originis doctrinâ hoc inter Manichæos veteres & recentiores illos distat, quòd illi quidem peccatum, ejusq; autorem coæternum faciebant DEo, nequè concedebant, peccatum ex transgressione ortum esse, quorum neutrum nostri videri volunt affirmare. Sed sunt tamen nonnulla, in quibus vel apertam cum* Manichais *societatem deprehendas, vel ea saltem animadvertas, quibus concessis, Manichæa deliria refutari amplius haut possint.* Plura habet *ibid. & pag.* 154. *Johannes item Pappus Epit. Histor. Ecclesiast. p.* 264. & alii. *chæum dici posse, evincitur.*

§. 55. Reliquæ tandem responsiones ex proprio *Flacii* cerebro oriundæ, sineque ratione & fundamento excogitatę, nunc omnes corruunt, nec ut singulis suum applicemus cuneum, opus est. Id verò adhuc restat, ut potiores rationes, quibus *Flacius* errorem suum probare conatus est, consideremus. Earum ultra centum & sexaginta collegit *Schlusselburg.* nos tamen paucas, præcipuas scilicet, ex quarum solutione reliquæ facilè solvi possunt, adferemus.

§. 56. I. Si malum nostrum adamantinum cor est substantia, sequitur quod etiam peccatum originis sit substantia. Prius est verum, E. & posterius. Minorem pro certâ habet; major verò probatur, quia cor nostrum pravum, seu anima (pro quâ juxta *Flacium Clav. c. p. pag.* 482. cor ponitur, quia in eo anima habitare censetur) est ipsum peccatum originis: id quod diversis, his inter alia probat argumentis; (1) Quicquid est illud malum, ex quo proveniunt omnia peccata actualia, id, teste *Paulo* & Eruditis, est peccatū originis. Sed malum nostrum adamantinum cor, thesaurus & origo omnis actualis mali est. E. (2.) Quicquid DEus prohibet, peccatum est. Jam autem DEus non solùm fructus malos, sed & arborem malam, cor nempe, seu animam prohibet. E. (3.) *Flacii fundamentum I.* *α.* *β.* *γ.*

Quicquid DEus increpat & odio habet, peccatum est. Sed
cor lapideum, animum perversum, veterem Adamum &
3. malam carnem DEus increpat & odio habet. E. (4.) Id jam
est pessimum malum, quod initio perfectæ naturæ thesaurus
& bonum optimum fuit. Id verò est ille spiritus vitæ, quem
DEUS inspiravit corpori Adami, Diabolus transformavit in
spiritum spiritualis & æternæ mortis. E. (5.) Ad quod de-
4. struendum Filius DEI in mundum venit, id peccatum est. Sed
Filius Dei venit etiam, ut nos regenerando, veterem Adamum
& cor lapideum erueret & novum hominem & cor spiritua-
le in nobis crearet. E. vetus Adam & cor lapideum sunt o-
5. pus Diaboli & peccatum. (6.) Quicquid repugnat divinę
legi, peccatum est. Cor nostrum malum repugnat divinæ
legi. E. peccatum est.
II. §. 57. II. Non renati dicuntur filii Diaboli, *Zizania*
Diabolica, ejus mandatis morem gerentia, &c. E. formam
III. malam habent à Diabolo, quæ est peccatum. III. Imago op-
posita divinæ imagini est peccatum originis. Ea verò non
est accidens, sed substantia. Adam enim non solùm secun-
dùm accidentia, sed etiam secundùm substantiam sibi similes
IV. generavit filios. E. peccatum originis est substantia. IV. *Pau-
lus* dicit, Filium DEi (non ejusdem accidentia) factum esse
peccatum. Prorsus autem sicut ipse *imputativè*, ita nos *rea-
liter* sumus peccatum. Jam autem is secundùm substanti-
am suam est factus peccatum. E. & nos secundùm substan-
V. tiam nostram peccatum sumus. V. Si peccatum originis
est tantùm accidens, injustus esset DEus, si totum hominem
VI. propter id perderet & abjiceret. VI. Communis omnium
Ecclesiarum sententia est, substantiam hominis non tantùm
sauciatam, læsam ac debilitatam, sed etiam prorsus corru-
ptam & inversam esse, velut canimus: Durch Adams fall ist
gantz verderbt &c. E. peccatum originis est substantia; quia
VII. corruptio est substantiæ abolitio & novæ productio. VII. Si
peccatum originis est tantùm accidens, non substantia cor-
rupta, sequitur non ipsam substantiam hominis corruptam
& DEO inimicam factam esse, sed tantùm ejus accidens,
quod

quod absurdum. VIII. Si illa originalis pestis, aut lerna malorum non est substantia hominis, sequetur 1. hominis actiones sanas esse, quia proveniunt potissimùm ab animâ rationali & appetitivâ; quas omnes docti dicunt substantiam hominis. 2. peccatum O. esset otiosum, quia actiones ab animâ, non ab accidentibus ejusdem proveniunt. IX. Quicquid non potest à substantiâ separari, ab eâ non differt realiter. Peccatum O. non potest à substantiâ humanâ separari. E. &c. Hæ sunt rationes prægnantiores, quas passim urget *Flacius*. VIII. XI.

§. 58. Suam tandem causam etiam autoritatibus, præprimis *B. Lutheri*, bonam reddere studet; cujus dicta plurima collegit, & in diversis scriptis edidit; quorum nonnulla adscribemus. Dicit Vir B. in *Festo Circumcisionis*: *Morbus qui resecandus est, in nullis operibus, sed in ipsâ naturâ hæret, totaq; substantia hominis corrupta est: ut peccatum sit hominis origo, ac quicquid in eo est: atq; hoc peccatum illud originale, vel potius naturæ & totius hominis peccatum est: quod si non esset, neq; aliquid actuale (quod vocant) peccatum committeretur. Hoc peccatum non committitur: ut omnia alia peccata, sed per se existit, vivit ac facit omnia peccata: estq;* peccatum substantiale, *quod non ad horam aut tempus aliquod peccat, sed quamdiu homo est, ipsum quoq; durat peccando. &c.* Item: *Alterum est peccatum* essentiale, natale, originale, alienum, de quo *Ps* 51. item Christus: *non potest arbor mala bonos facere fructus.* Item: *peccatum est* hoc totum, *quod natum est ex patre & matre. 1. Tom. fol. 29.* Siehe/ so war ists/ daß ich für dir ein sünder bin/ daß auch Sünde meine Natur/ mein anhebendes Wesen/ und mein empfengnüs ist/ schweige dann die Wort/ Werck und Gedancken/ und nachfolgend Leben. Hæc & alia plurima ex *Luthero* congessit *Flacius*, iisdemque, suam ipsius *Lutheri* sententiam esse, probare laboravit. Ejusdem erroris B. Virum accusat *Bellarminus l. 5. de amiss. grat. c. 1. & Schmaltzius in refut. disp. 2. D. Frantz. pag. 2.* ut citat *B. Gerhard. disp. Isag. 24. §. penult.* *Lutheri dicta*

§. 59. Verùm hæc non sunt adamantina ac insolubilia. Quod enim primum concernit, 1. negamus minorem. Diximus enim suprà, cor adamantinum & veterem Adamum esse ens per accidens, & præter substantiam etiam pravitatem *Resp. ad I.*

 involvere

involvere. 2. falsa etiam est major, cum probatione: quia peccatum & malum illud nobiscum natum non est ipsum cor adamantinum, sed aliquid substantiæ nostræ adhærens, quod paulò pòst fusiùs declarabitur.

ejusq; prosyllogismum I. §. 60. Ad prosyllogismum primum Resp. 1. majorem negando. Totus enim homo corruptus est tale malum, ex quo omnia peccata actualia oriuntur, qui tamen ipso *Flacio* concedente, peccatum non est. 2. Limitamus ergò eandem ex *Paulo Rom. VII.* hoc modo: Quicquid est illud malum *nobis inhabitans*, ex quo proveniunt omnia peccata actualia, id est peccatum originis. Sic eâ concessâ, relegatur minor: quia anima corrupta quatenus est substantia, nobis non inhabitat, sed est pars essentiæ humanæ. 3. Alii ita limitant majorem: Quicquid *per se & ex se* efficit omne actuale peccatum &c. Sic iterum negatur minor, quia cor & anima corrupta non ex se & quatenus substantia, sed ob malum inhabitans actualium peccatorum causa est. 4. Vel etiam ita limitant majorem: Quicquid *immediatè* efficit peccata actualia, id est peccatum originis: jam autem cor non immediatè & per suam substantiam, sed mediatè, κατ' ἄλλο, ob corruptionem scil. originalem, peccati causa est. Possumus etiam paulò aliis terminis uti, & dicere, animam esse principium *quod*, peccatum adhærens principium *quo* peccatorum actualium: quæ tamen doctrinâ ulteriori explicatione indiget. Quando videlicet & animæ & peccato originali tribuitur, quòd peccata actualia efficiat, non est putandum, peccatum originis esse causam eorum efficientem propriè loquendo. Quî enim privatio realem præstabit in aliquid influxum? Quemadmodum scil. privatio propriè non inest in subjecto, in eo aliquid ponendo, sed impropriè, & ùt Philosophi loquuntur, *remotivè*, per hoc scil. quod aliquid abest à subjecto; velut cœcitas non est reverà & propriè loquendo in animali, dicitur verò inesse impropriè, & per hoc, quod potentia videndi non inest: ita etiam res habet in præsenti. Peccatum originis dicitur fons & origo peccatorum actualium, non eo sensu, acsi reverà aliquid efficiat, sed per hoc, quòd aliquid

quid à subjecto tollit ac removet, quod bonas actiones causare posset, & quo absente, potentia naturalis non nisi malum operari valet. Anima verò ipsa est causa efficiens propriè dicta actualium peccatorum, quæ sibi relicta ob naturalem nævum non nisi malè operari apta nata est.

§. 61. Alterum nunc aggredimur prosyllogismum, in quo 1. iterum negamus majorem, si ita ea intelligatur: Quicquid Deus prohibet, id *secundùm se totum* peccatum est. Nam actiones malas Deus prohibet, quæ tamen non sunt peccata secundùm se totas, sed ratione subjecti, quid positivum. 2. Eam proinde limitamus ita: Quicquid Deus prohibet, id *vel secundùm se totũ, vel secundùm quid* peccatum est. Sic ea vera est, & vera inde nascitur conclusio: cor malum vel secundùm se totum, vel secundùm quid peccatum est. Scilicet non ratione substantiæ, sed ratione adhærentis malitiæ. 2.

§. 62. In tertio major iterum vacillat. Deus sanè primos nostros parentes increpabat, quorum tamen substantia non erat peccatum, etiam *Flacio* concedente, qui nobilissimam tantùm animæ partem transmutatam, non autem totum individuum peccatum esse, contendit. Eam verò ita limitamus: Quicquid Deus increpat, & odio habet, id peccatum est *vel peccato infectum*, *vel* etiam *mortis æternæ reum*: & sic totum concedimus argumentum. 3.

§. 63. In quarto 1. negamus majorem. Diversissima sunt bonum illud optimum, quod perdidimus, & malum connatum, quod miseri possidemus. 2. falsa etiam est minor. Id sanè optimum, quod faciebat, ut placeremus Deo, non erat ipsa anima, utpote quæ post lapsum in suâ essentiâ mansit integra; sed justitia originalis, Satanæ fraude deperdita. 4.

§. 64. In quinto 1 major falsa est absolutè intellecta. Limitamus verò eam ita. Ad quod destruendum in mundum venit Christus, id peccatum est, *si non secundùm se totum, tamen secundùm quid*. Eo modo & conclusio intellecta non est absurda, ùt patet. 2. Circa minorem monendum, quòd veteris Adami seu substantiæ corruptæ deletio substantialis, novæque 5.

productio

productio nec ex *Psalm.* 51. nec aliunde probari possit. Cor novum igitur potest considerari vel *materialiter* ut cor est, vel *formaliter*, ut novum est. David non rogat, ut accipiat cor secundùm substantiam novum, sed loquitur de corde novo formaliter accepto, & ut novum est, utque id, quod jam antè habebat, innovetur, petit. Istam verò actionem vocat creationem, propter convenientiam cum verâ creatione, quia sc. est opus solius Dei.

6. §. 65. In sextô 1. falsa est major. Neque enim ea est Apostoli *1. Joh. III, 4.* cujus verba sunt: *peccatum est ἀνομία seu illegalitas*, ex quibus si aliquid colligere licet, hoc sequitur: quicquid est illegalitas, id est peccatum; non autem: Quicquid non est conforme legi divinæ, peccatum est. 2. Limitari tamen potest major ita: Quicquid repugnat legi divinæ *per se & immediatè*, illud est peccatum: sic relegatur minor, quia cor non per se & immediatè, & secundùm substantiam suam, sed mediante peccato divinæ legi repugnat.

Ad II. §. 66. Nunc etiam ad reliquas rationes progredimur. Ad secundam dicimus, conclusionem dupliciter posse intelligi, vel ut forma sumatur pro formâ substantiali, ùt in physicis accipi solet; vel ut capiatur pro formâ denominante. Si hoc, concedimus totum argumentum, cùm etiam privatio formæ denominantis munus subire possit. Si verò intelligatur forma substantialis, nulla est consequentia. Hoc enim est κρινόμενον: an quis filius diaboli dicatur per formam substantialem, an verò malitia & bonitatis privatio hanc denominationem largiatur? Quorum posterius nos adserimus.

Ad III. §. 67. Ad III. Resp. Imaginem divinam generaliter eam sumendo non consistere tantùm in conformitate qualitatum cum Deo, sed etiam in essentiæ similitudine, v. g. quòd animus hominis immortalis, atque intellectu & voluntate præditus est. Unde, quia essentia hominis post lapsum non deleta & abolita est, mansit etiam particula divinæ imaginis. Hanc ob causam homo etiam post lapsum secundùm imaginem Dei creatus dicitur, *Gen. IX, 6. Jacob. III, 9.* Amissæ verò

sunt

sunt istæ qualitates, quarum intuitu etiam homo secundùm imaginem Dei creatus dicitur, v. g. lumen supernaturale, justitia & sanctitas appetitui concreata: quæ specialiter DEI imago dicuntur. Quibus præmissis, concedimus, quòd Adam generaverit filios substantiâ & malitiâ naturali sibi similes; negamus autem, omne id, secundùm quod similes sunt Adamo, esse Satanæ imaginem, cùm & divinæ particula auræ & ita aliquid divinæ imaginis remanserit, si scilicet imago divina in latâ & generali sumatur significatione. Quodsi verò ea strictè & specialiter sumatur pro ornamentis accidentariis quemadmodum usitatè sumitur, illam periisse largimur, illiq; successisse Satanæ imaginem: hominis tamen substantiam in Satanæ imaginem transformatam esse, negamus.

§. 68. Quod attinet locum Pauli 2. *Cor. V*, 21. *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit*; diversimodè istum explicant Theologi. Communis explicatio est, quâ peccatum dicitur sumi pro λύτρῳ seu hostiâ pro peccato, ut sensus sit, ipsum esse factum hostiam pro nostro peccato, quemadmodum Eundem *Gal. III*, 13. maledictionem factum dici autumant, quia suâ passione & morte maledictionem & pœnam peccati expiavit. Hæc explicatio si retineatur, ex isto loco nihil adversùm nos colligi posse, patet. *Flacius* tamen in *Clav. part.* 1. *in voce* Peccatum *columm. m.* 1144. putat contextui convenientius esse, si τὸ *factus peccatum*, explicetur per *reum peccati* factum, ita ut sensus sit: qui sibi peccati non erat conscius, eum DEus per imputationem fecit peccati reum. Verùm nec ista explicatio nobis adversatur. Si enim peccatum non pro illegalitate, sed pro peccatore & reo peccati sumatur, inde non sequitur, hominem secundùm substantiam suam peccatum esse; sed si quicquam, hoc potest colligi; quòd etiam homo non secundùm accidentia, sed secundùm se sit peccator & peccati reus: quod nobis non adversatur. *Ad IV.*

§. 69. Quintum argumentum blasphemum est. Adulterium enim *Davidis* non erat substantia, sed accidens, prædicabile sc. & privativum, & tamen justissimo DEi judicio non solùm atrociter punitum est, sed etiam meruisset in æternum abjici, nisi *David* per *Ad V.*

pœniten-

pœnitentiam remissionem impetrâsset. Sic motus Adæ pravus & & inobedientia non erat substantia, nec tamen DEus, propterea protoplastos cum posteris puniens, injustus est.

Ad VI. §. 70. Ad sextum dicimus, non aliam in homine concedi corruptionem, quàm eam, quam sacra indicat & testatur pagina. Ea verò non substantialem sed accidentalem tantùm monstrat, & docet, hominem non ratione substantiæ interiisse, sed tantùm accidentaliter corruptum esse, & justitiam ac sanctitatem amisisse: ideò nec nos aliam admittimus corruptionem. *Ad VII.* In septimo nulla est consequentia. Posse enim aliquem ob id, quod substantia non est, Deo inimicum reddi, ex §. 69. clarum est.

Ad VIII, §. 71. In octavo etiam nulla est consequentia. Non sequitur, 1. si peccatum originis non est substantia, actiones hominis sanas esse: ratio est, quia non proveniunt ab animâ purâ & viribus bonis præditâ, sed ab animâ impurâ, & omnibus benè agendi virib. privatâ: ideò etiam non possunt esse bonæ. 2. Nec sequitur, peccatum esse otiosum. Si quidem otiosum id dicatur, quod nihil reverà efficit, peccatum originis otiosum est: si tamen id non est otiosum, per quod fit, quo minùs bonæ actiones, crebrò autem malæ exerantur, peccatum originis in otio nequaquàm degit, sed satis se exerit, eo sc. modo, quo suprà explicavimus §. 60.

Ad IX. §. 72. In nono falsa est minor. Licet enim humana substantia per naturæ vires non possit liberari à congenito malo, quin tamen divinâ possit potentiâ, indubium est. Imò tam beatis tandem omnibus piis esse licebit, ut resuscitati & à malo quovis liberati omne quod justâ Dei irâ ademtum est, imò longè majora, ejusdem misericordiâ in pace & quiete possideant.

De Lutheri sententiâ §. 73. Dissipatis nunc per Dei gratiam *Flacii* nebulis, quid de *Luthero* sentiendum, & an ille cum Pontificiis & Photinianis hæreseos reus habendus sit, dicendum restat. Ipsum itaque ab impiâ *Illyrici* sententiâ fuisse alienissimum, clarissima ejus dicta, quorũ non nulla adducemus, contestantur. Expresse enim in *com. in Gen. c. 3.* ait: *Manet natura, sed multis modis corrupta, manent in naturâ membra eadem, sed quæ anteà nuda cum gloriâ conspiciebantur, nunc tanquam impia & inhonesta velantur.* In *c. 4.* dicit:

Spiri-

Spirituales homines distinguere debent inter peccatū originis & creaturam. Tom. 6. Germ. J. p. 260 T e9, inquit, *non est naturæ inimicus: sed docet, se ei venturum in auxilium: decrevit enim vindicare Eum, tanquam proprium suum hostem, qui opus suum inquinavit & corrupit.* Item *super Evang. Dom. Judic.* das Hertz seines Wesens halben ist gut/ aber den Brauch nach böß und vom Teufel. Ex quibus tam clarū est, ac sol lucet in meridie, cùm sudum est, B. Virum peccatum originale ab ipsâ naturâ distinxisse, nec Flaciani erroris consortem fuisse.

§. 74. Ut verò, quid de locis §. 58. adductis & similibus sit sentiendum, paucis declaremus, fatendum omnino est, B. Virum ἀκυρολογίαν in suis locutionibus adhibere, sæpèquè durè loqui ad peccatum originis, quod Pontificii, cū quib. eidem res erat, extenuabant, exaggerandū. Iste tamē ab his locutionib. abstinuisset sine dubio, & mentē suā clariùs proposuisset, si prævidisset, fore, ut nonnulli tam absurdè de peccato originali sentirent, dictisque suis abuterentur. Mens enim ejus, ùt patuit, omninò sana est.

§. 75. Quando itaque Vir B. 1. peccatum originis naturale appellat, *naturale* non sumit pro eo, quod est essentiale constitutivè vel consecutivè, sed pro eo, quod nobiscum nascitur; quomodo lapidi gravitatem naturalem esse dicimus: imitatus Paulum *Eph. II, 3.* ubi nos *naturâ* filios iræ pronunciat. 2. Idem dicendum de eâ locutione, quâ peccatum nostrum substantiale seu essentiale vocat, quemadmodum se ipse explicat *Tom. 1. Lat. Jen.* citante *Schlüsselb. p. 101.* Scil. ita appellat peccatum originis, non quòd per se sit substantia seu essentia, sed *quòd unà cum essentiâ propagetur per nativitatem, nec aliquando transeat, ut actualia peccata*, item *quòd totam essentiam corrumpat* &c. & addit, sibi nihil rei esse cum Logicis, cùm peccatum substantiale vocat. Eodem modô B. Virum intelligendum esse, dum peccatum hominis essentiam esse, docet, indubium est. 3. Dum hominem imaginem Satanæ, item peccatum apellat, est locutio metonymica, poniturque abstractum pro concreto, adjunctum pro subjecto. Vocatur *& dictis agitur.*

 igitur

igitur *imago Satanæ* ad indic
peccato Diabolum repræ
fectus ac corruptus. H
Epilogus. ſufficiant. Et ſic, divino aux
ſtitiſſe, vivisque coloribu
ſtat, quàm ut, ſi qua ob i
Lectorem veniam petam,
concesſis debitas perſolv
lit iſte Eccleſiæ naviculam
dibriis divexatam, prot
ſervare, nosque tande
hâc miſeriarum & p
tum omnis m
clement

F I



ad indicandum, quod homo pravitate &
n repræsentet; *peccatum*, quia est peccato in-
tus. Hæc pro *Megalandro Luthero* adducta
vino auxilio, errorem *Flacii* in vero suo vultu
loribus depinxisse videor; nihil nunc re-
ua ob ingenii tenuitatem lapsus fuero, B.
petam, Deoque supplici mente pro viribus
persolvam grates, devoto addito voto, ve-
riculam, variis ventorum turbinibus & lu-
, protegere, in unitate & puritate fidei
e tandem omnes vitæ hujus saturos ex
um & peccatorum valle ad se in cœ-
nnis mali & maculæ purum,
clementissimè recipere.

FINIS.

